

privilegium antea concessum, ita ut ad formam Brevis, si expeditur, cum consuetis clausulis irritantibus, sit reducendum novissime obtentum? » Quibus in Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, relatis, et mature perpensis, eadem Sac. Congregatio die 17 Martii 1750 rescribendum esse censuit « Ad utrumque Affirmative ».

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXC.

CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS PAUPERUM
MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM NUNCUPATAE

Ad humillimas preces Josephi Augustini Delbequii a S. Nicolao Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatae Praepositi Generalis, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV volens omnes et singulas Ecclesias Clericorum Regularium hujusmodi ubique Terrarum existentes, tam erectas, quam in posterum erigendas, in quibus aliud altare in perpetuum simili privilegio jam decoratum non reperitur, et praevia in coeteris ejusmodi Ecclesiis revocatione ejusdem Privilegii quomodolibet ad tempus nondum elapsum forsitan concessi, ac in eis situm Altare a respectivo locorum Ordinario in singulis praedictis Ecclesiis semel designandum hoc speciali privilegio illustrare; ut quaecumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel Cujusvis Ordinis Congregationis et Instituti Regularis Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare praefatum celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, benigne concessit, atque indulget. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque

Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum Romae die 18 Martii anno 1750.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXCI.

SALISBURGEN.

Ut Sacrarum Indulgentiarum thesaurus ab omni simulationis et falsitatis vitio servaretur immunis, Sacrosancta Tridentina Synodus salutari decreto sancivit, ut Episcopi omnes abusus si quis nasceretur in suis Dioecibus colligerent, et postea ad S. Sedem deferrent, ut Ejus auctoritate et providentia statuatur quod universalis Ecclesiae bono videbitur expedire; nuper autem cum in Dioecesi Salisburgensi aliqua evulgata sint folia, quae apocripharum Indulgentiarum seriem praeserere videntur, Consistorium Archiepiscopale Salisburgi de enunciato Tridentino decreto sollicitum ad hanc Sac. Congregationem eadem folia detulit, ut EE. PP. post illorum examen decernant quod Ecclesiasticae Disciplinae, ac Oeconomiae magis conveniat.

Quaeritur igitur « *An delata Folia sint permittenda, vel potius interdicenda?* »

Sac. Congregatio sub die 8 Augusti 1750 respondit « Interdicenda, et ad Mentem, et Mens est, ut Pater Procurator Generalis Ordinis Min. de Observantia S. Francisci doceat de praetensa facultate privativa erigendi Sodalitiae Pacis ».

CXCII.

URBIS ET ORBIS

An Patribus Minorum Observantium S. Francisci competat privativa facultas erigendi Ordinem Pacis, sive Confraternitates sub diversis denominationibus a B. Joanna Vallesia institutas in casu etc.?

Sac. Congregatio diei 8 Augusti 1750 respondit « Ex hactenus deductis non subsistere ».

CXCIII.

ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS

1.^m *An Ecclesiae in quibus duo vel tres Canonici Praemonstratenses degunt, gaudeant privilegio Altaris, sicuti reliquae ejusdem Ordinis Ecclesiae?* Et quatenus negative.

2.^m *An sit hujusmodi privilegium concedendum in casu?*

Sac. Congregatio diei 8 Augusti 1750 respondit

Ad 1.^m Gaudere.

Ad 2.^m Provisum in primo.

CXCIV.

In Brevibus Indulgentiarum pro Ecclesiis Saecularibus cum juxta praxim soleat apponi clausula (*Non tamen Regularium*) non raro contingit ut hujusmodi Brevia expedita pro Ecclesiis et Parochiis, quae dumtaxat dependent et administrantur sive a Rectore, sive a Parocho Regulari, nonnulli Episcopi Germaniae attenta praefata clausula renuant exequi, hinc quaeritur « *An vi Clausulae (non tamen Regularium) quae solet apponi in Brevibus Indulgentiarum, excludantur dumtaxat Ecclesiae Regularium vere Conventuales in casu etc.?* »

Sacra Congregatio diei 8 Augusti 1750 respondit « *Excluduntur vere Conventuales* ».

CXCV.

CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS S. PAULI

Ad humillimas preces D. Pauli Philippi Premoli moderni Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupat. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV clementer indulxit, ut omnes Missae, quae pro Anima cujuscumque Presbyteri, Clerici, Laici praefatae Congregationis juxta ipsorum Constitutiones in eorum obitu, vel alia die ad quodcumque Altare cujuscumque Ecclesiae ejusdem Congregationis tam erectae, quam in posterum ubicumque erigendae pro illorum Anima, quae Deo in Charitate conjuncta ab

hac luce migraverit, celebrabuntur, Animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 8 Augusti 1750.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXCVI.

ORDINIS FF. SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM
DISCALCEATORUM NUNCUPAT.

Ad humillimas preces Fr. Amadei de Sanctis moderni FFr. Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupat. Congregationis Hispaniarum Procuratoris Generalis, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV volens omnes et singulas Ecclesias Conventuales FFr. Ordinis et Congregationis hujusmodi tam erectas quam in posterum erigendas, in quibus aliud Altare a S. M. Benedicto XIII juxta certam formam jam privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Litteras auctoritate Apostolica revocavit, et in eis situm Altare a respectivo Locorum Ordinario semel designandum hoc speciali privilegio illustrare, ut quandocumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel cujusvis Ordinis Congregationis et Instituti Regularis Missam pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad Altare praefatum celebrabit: Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulxit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 11 Decembris 1750.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXCVII.

ORDINIS SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Ad humillimas preces Fr. Magistri Petri Francisci Vacchini moderni FFr. totius Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum nuncupat. Vice-Procuratoris Generalis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV audito Voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae volens omnes et singulas Ecclesias Conventuales FFr. hujusmodi ubique Terrarum existentes, tam erectas, quam in posterum erigendas in quibus aliud Altare sub die 29 Julii 1727 a S. M. Benedicto XIII juxta certam formam jam privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Litteras auctoritate Apostolica revocavit, et in eis situm Altare a respectivo Locorum Ordinario semel designandum hoc speciali privilegio illustrare, ut quando-cumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis Missam pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare praefatum celebrabit; anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, benigne concessit, atque indulisit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 11 Decembris 1750.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXCVIII.

URBIS ET ORBIS

Editum jam fuit Decretum tenoris qui sequitur « Cum Sac. Congregationi Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae humillime expositum fuerit tribus diebus, scilicet Feria Quinta in Coena Domini, ac Parasceven et Sabbato Sancto, quibus

incuruenta Sanctissimi Corporis et Sanguinis D. N. J. C. Sacrificia ex Ecclesiasticae disciplinae instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe, et in aliquibus Italiae Locis introductum inveniri, sub hac lege, ut quisque spatio saltem unius horae omnibus ac singulis praefatis diebus Orationi Mentali, vel Vocali in suffragium Animarum in Purgatorii poenis degentium vacare debeant, ut quo tempore ipsae Fidelium Defunctorum animae suffragiis ex Missarum celebrationibus provenientes destituuntur, alia qua potest ratione valeant adjuvari, eadem Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1745 re mature perpensa ad laudabile hujusmodi institutum confovendum, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui saltem corde contriti diebus in Coena Domini, ac Parasceven et Sabbato Sancto orationi mentali, vel vocali in suffragium Fidelium Defunctorum unam saltem horam devote impenderint, Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum Animabus Fidelium Defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 10 ejusdem mensis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando benigne annuit. C. Card. De Hieronymis Praef. Loco ✠ Sigilli A. M. Erba Prot. Apost. Secret. Cum vero eidem Sac. Congregationi delatum fuerit, Populi frequentiam ac devotionem erga Sacras functiones in enunciato Triduo ex Ecclesiae ritu vel consuetudine ad recolenda Sacra Dominicae Passionis Mysteria fieri solitas in aliquibus locis tepescentem excitari posse si Indulgentias praedictas ad omnes utriusque sexus ejusmodi Sacris functionibus interessentes extenderetur; Eadem Sac. Congregatio die 30 Martii 1751 attentis expositis rescribendum esse censuit, « Interessentes ejusmodi functionibus praefata Indulgentia gaudere, dummodo, ut praefertur orent ». De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 3 Aprilis ejusdem anni Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis confirmando benigne annuit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXCIX.

ORDINIS B. M. V. DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Ad humillimas Preces P. M. Dominici Josephi ab Astigaribia moderni Fratrum Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum nuncupat, Vicarii et Procuratoris Generalis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV clementer indulisit, ut omnes et singulae Missae, quae in obitu Presbyterorum, et Clericorum, ac Laicorum Ordinis hujusmodi vel alia quacumque die juxta ipsius Ordinis Constitutiones ad quodlibet Altare cujuslibet Ecclesiae Ordinis praedicti celebrabuntur, Animae hujusmodi pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 24 Aprilis anno 1751.

FR. J. CARD. PORTCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CC.

URBIS ET ORBIS

« An Missa de Festo Semiduplici, Votiva, vel de Feria celebrata in Altari privilegiato in quo exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sive in Ostensorio sive in Ciborio suffragetur pro Defunctis ac si Missa de Requie dicatur in casu? etc.

Sac. Congregatio respondit die 20 Julii 1751 « Affirmative ».

CCI.

FF. MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

Ad humillimas preces P. M. Fr. Caroli Antonii Calvi Ministri Generalis et P. M. Fr. Michaelis Benedicti Oneti Procuratoris Generalis FFr. Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV clementer indulisit, ut omnes et singulae Missae quae juxta Constitutio-

nes vel laudabilem consuetudinem ejusdem Ordinis sive ejusque hujusmodi Conventus, vel Monasterii Monialium ipsius dumtaxat Ordinis Min. S. Francisci Conventualium pariter nuncupat. sub cura et gubernio ejusmodi Superiorum viventium, tam erectis, quam erigendis, pro Summis Pontificibus, Cardinalibus Protectoribus, Vice-Protectoribus, ac Titularibus, Episcopis seu Ordinariis, Principibus Supremis, aliisque in temporalibus Locorum Patronis, nec non pro respectivis Conventuum ac Monasteriorum Benefactoribus, Fundatoribus, ipsisque Fratribus et Monialibus, horumque tantum Genitoribus ab hac luce migrantibus celebrari debent et solent, ad quodcumque Altare respective, tam Conventuum Fratrum, quam Monasteriorum Monialium hujusmodi Ecclesiae in eorum vel earum obitu, aut alia die celebrabuntur, Animae ejusmodi pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Praesenti in perpetuum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 4 Septembris 1751.

FR. J. A. CARD. GUADAGNI PRO-PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCII.

ORDINIS FF. S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA
REFORMATOR. NUNCUPAT.

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die undecima Januarii 1762 censuit declarandum esse omnes et singulas Cappellas publicas praefatorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum in Germania, Polonia, Hungaria, Bohemia, Transylvania, Prussia, Russia, aliisque conterminis Provinciis existentes gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis Indulgentiis et Privilegiis, coeteris Ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas Cappellas Christifideles ad Sacrum audiendum et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta con-

fluant. De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino relatione die 15 ejusdem mensis, Sanctitas Sua Votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCHII.

URBIS ET ORBIS

Ut debito jugique cultu ubique terrarum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Christifideles venerarentur, summopere semper exoptavit Apostolica Sedes; quapropter voluit, ut Confraternitates Sanctissimi Sacramenti ubique terrarum in quacumque Ecclesia Parochiali erigi possent; quinimo, ut Fideles ipsi ad hujusmodi devotionem propagandam allicerentur, spiritualibus gratiis easdem Confraternitates cumulavit. Verum, quamvis decreto Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 23 Aprilis 1676 edito et a Ven. Mem. Innocentio XI sub die prima Octobris 1678 per Apostolicum Breve confirmatum sancitum jam fuerit, ut quocumque in Loco Confraternitates Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti canonice fuissent erectae, hujusmodi Confraternitates absque ulla aggregatione, aliove actu immediate gaudere Indulgentiis Archiconfraternitati ejusdem Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariae de Minerva Urbis existenti concessis, et concedendis. Attamen cum ab ipsamet aliisque Archiconfraternitatibus Sanctissimi pariter Eucharistiae Sacramenti aggregandi facultate eisdem ab Apostolica Sede concessa jam fruentibus, plures etiam pro una, eademque Civitate, Oppido vel Loco aggregationes passim expedianur, ex quibus jurgia pariter, et dissensiones non tantum timeri possunt, sed ortas jam esse nonnulli testantur; ideo supplicatum fuit praedictae Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro declaratione « *An Aggregationes, quae fiunt ab Archiconfraternitatibus Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti post Decretum editum ab ipsa Sac. Congregatione anno 1676 et*

postea a S. M. Innocentio XI anno 1678 confirmatum, subsistant in casu etc.? » Et Sac. Congregatio sub die 17 Aprilis 1752 declarandum esse censuit « *Aggregationes hujusmodi quantum ad communicationem Indulgentiarum ab Archiconfraternitatibus praetensam esse inutiles. De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Secretarium die 22 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.*

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCIV.

URBIS ET ORBIS

Cum in Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita diei 20 Martii 1747 fuerint proposita sequentia dubia - Primo « *An Ecclesiae, Cappellae, et Oratoria publica non dum benedicta nec consecrata capacia sint Indulgentiis?* » Secundo « *An eandem capacitatem habeant Cappellae et Oratoria privata tam cum privilegio more Episcoporum quam sine hujusmodi privilegio?* » Et responsum fuit ad utrumque « *Affirmative, sed de stylo non concedi* »; cum vero super hujusmodi decreto nonnullae quaestiones ortae sint praesertim in Germania, aliis enim putant eandem resolutionem afficere etiam Altare Privilegiatum, quod quidem est vera Indulgentia pro Defunctis, alii vero existimant excludere eo quia licet Altare Privilegiatum sit Indulgentia, attamen in generali Indulgentiarum concessione ex pluribus ejusdem Sac. Congregationis Decretis numquam comprehenditur; ideoque privilegium in Litteris Apostolicis nuncupatur; Alii demum sustinent Ecclesias, Cappellas et Oratoria publica non sufficere pro Altari Privilegiato in iis obtinendo quod sint benedicta, sed necessario requiri quod sint consecrata, Idcirco ad eliminandas super hujusmodi re quas-cumque quaestiones propositum fuit dubium « *An pro Altaris privilegio sufficiat Ecclesias, Cappellas et Oratoria publica esse benedicta vel necessario debeant esse consecrata?* » Et Eadem

Sac. Congregatio sub die 17 Aprilis 1752 censuit rescribendum esse « Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam, nempe sufficere esse benedicta ». De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino relatione die 22 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCV.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini

Minister Provincialis Provinciae Russiae Ord. Minor. Observantium S. Francisci Polonus humillimus Orator reverenter exponendo EE. VV. qualiter in celeberrima Ecclesia Conventus Lezayscensis B. V. Mariae auctoritate Apostolica coronatae Dioecesis Premisliensis in Confiniis Infidelium situata instituti sint quatuor Poenitentiarum quibus nuper Sac. Congregatio S. Officii concessit facultatem absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis prout adnexum Diploma authenticum testatur. Prostratus ante Thronum gratiae EE. VV. humillime supplicat: quatenus EE. VV. praefatis quatuor Poenitentiarum electis, seu pro tempore eligendis, ictum seu tactum Poenitentialis Virgae praebentibus nec non singulis utriusque sexus Christifidelibus eundem ictum seu tactum humillime et corde saltem contritis recipientibus; qua vice id egerint Indulgentiam viginti dierum in perpetuum benigne concedere dignentur, prout EE. VV. dignati sunt similem gratiam concedere pro Ecclesia FFr. Min. Socahensi Dioecesis Chelmensis die 25 Junii 1746. Ex eo enim in Populo ad illam Ecclesiam ex longinquis partibus turmatim confluenti major devotio, majorque illius Sanctuarii reverentia in dies augebuntur. Quam Gratiam.

Die 10 Maii 1752 - Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV tum praefatis quatuor Poenitentiarum electis, seu pro tempore eligendis ictum seu tactum Poenitentialis Virgae praebentibus, cum singulis utriusque sexus Christifidelibus eum-

dem ictum seu tactum humillime et corde saltem contritis recipientibus, qua vice id egerint Indulgentiam viginti dierum in perpetuum benigne concessit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCVI.

Pia ac Sancta Viae Crucis devotio, qua Christi Domini Passio recolitur, utpote remedium speciale, ac utilissimum ad curandum conscientiae vulnera, quibus humana infirmitas quotidie sauciatur, feliciter in toto fere Christiano Orbe cum magno animarum fructu diffusa est; contigit tamen aliquibus in regionibus et praesertim in Lusitania Via Crucis, sive Calvariae, ut vocant, Stationes adeo esse multiplicatas ut erectae inveniantur nedum in Ecclesiis, verum etiam in Oratoriis, Cappellis, aliisque in locis tam angustis, in quibus totum Calvarii iter duobus aut tribus passibus conficietur, ex qua locorum angustia et nimia Viarum Crucis multiplicitate diversae quin immo contrariae sententiae circa illarum subsistentiam exortae sunt. Quoniam vero suspicari potest praefatam erigendi Viae Crucis facilitatem ex eo potissimum posse promanare quod Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia sive Reformatorum, sive Recollectorum nuncupat. illas erigant, insciis Ordinariis, et Parochis contra Decretum Sacrae hujus Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 30 Julii 1748 emanatum, ac die 3 Augusti ejusdem anni a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV approbatum, quo praescribitur ut in saepedictis erectionibus faciendis extra Ecclesias Conventuum FFr. dicti Ordinis, necessario requiratur in scriptis et non aliter licentia Ordinariorum, nec non Parochorum, et aliorum Superiorum consensus, in quorum jurisdictione Viam Crucis erigi contigerit sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae. Itaque ad impediendum hujusmodi erectionum abusus haec duo formata et proposita fuerunt super praemissis dubia: Primo « *An pro consequitione Indulgentiarum in Erectione Viae Crucis, in Oratoriis, et*